

*fatū laudibus extollere vestram summam possumus benevolentiam, quā
 nos gratiosè prosequimini. Nupero Actui nostro Oratorio, ut de
 reliquo in nos favore modò taceam, omnes, qui proximi à latere
 Sereniss. Dn. ELECTORIS SAXON. PATRIS PATRIÆ &c. -
 INTIMI CONSILIARII estis, quorum prægloriosissima Nomina
 tacendo veneror, ne quid sermonis nostri tenuitate detrahatur, inter-
 eratis: imitati augustissimum Ludovici XII. Gallie Regis factum,
 qui Jasonem docentem per horam audivit. Titus Imperator,
 delictum generis humani, se diem perdidisse dicebat, quo nihil bonū
 fecerat: at vobis PATRONI SUMMI, VIRI tanti in quibus nec invidia
 inveniatur, quod calumniatur, ne hora perit. Vestra hæc utiq; in jacen-
 tes aliàs hodie ac exulantes Musas ἐνεργητικῶς, omni sublimiora
 deprecatione: vestram hanc inexplicabilem clementiam, sacri silentij
 honore venerari potius mens est, quam inanibus literarum formulis de-
 rere, ut quæ longè subsidant infra dignitatem tantorum meritorū. Nec
 tamen me, cui quidem modò nil, nisi illud GRATIAS AGO relictum,
 minus ideò pium putabo, si ea in præsens, futuro dicturus tempore, præ-
 teriero, quæ in illustri posita luce omnes norunt. Illustrem ve-
 strum Concessum quum in Auditorio nostro nuper conspicarer,
 totum VIRTUTUM CHORUM me cernere existimabam. O benevo-
 lentiam maximam! O gratiam summam!*

*O me Pindaricis animaret in ardua ventis
 Calliope, vestram quò possim ferre per auras
 Gratiam abundantem! quam non reticebo vel unquā.
 Nomina vestra canam, dum vixero, maxima. PACEM
 Jam Vobis opto. quā non præstantius ullum
 Unquam homines norunt. Etenim Pax optima rerum
 Quas homini novisse datum est: Pax una triumphis
 Innumeris potior: Pax custodire salutem
 Et cives æquare potens. Pax nostra voluptas.
 Hic in pace datā florete, virete, senete!*

*Lapides ante annum dabamus pretiosos, gemmasq; , quæ quidem
 in magno sunt aestimio: Pax lapides vel pretiosissimos ac margaritas
 omnes longè exsuperat. Pax tranquilla libertas est, quā non modò*

ij.